1528 17. Aprilis

114

Petrus Tomiczki Episcopus Cracov:
Stanislao Biel Sacrarum literarum
Professori et Doctori.

Venerabilis domine frater charissime, volentes singularem nostram erga vos benevolentiam, qua vos prosequimur apud omnes homines testatam facere simul ac benignam rationem habentes virtutis probitatis integritatis et singularis doctrinae vestrae motu nostro proprio vos vicecancellarium in universitate incliti studii Cracoviensis fecimus et creavimus, literasque ejusmodi creationis nostrae vobis mittimus cum praesentibus certo nobis persuadentes, quod et hanc animi nostri erga vos propensionem gratam habebitis et in eo vicecancellariatus officio ita vos geritis prout virtus integritasque vestra et nostra vicissim de vobis spes et existimatio postulare videtur, bene valete, et dominum Deum pro nobis orate.
Datum.